



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

Dissertatio Tertia De divisione entis in 10. prædicamenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

DISSERTATIO TERTIA

De divisione entis in 10. prædicamenta.

I. **P**Rædicamentum est series seu ordo prædicatorum minùs & magis communium ab aliquo supremo genere ad ultimum usque individuum deductus. In eo ea dicuntur poni directè, quæ collocantur in linea media, nimirum genera & species; indirectè, quæ stant in linea laterali, ut differentiæ: reductivè, quæ nec directè, nec indirectè in eo ponuntur, spectant tamen aliquo modo ad ea, quæ directè in prædicamento ponuntur. Ad hoc, ut quid directè ponatur in prædicamento, debet esse vox seu terminus significatione simplex, habens aptum significandi modum: debet esse ens per se, id est, vel ens simplex, vel compositum ex partibus pertinentibus ad idem prædicamentum, qualia adhuc sunt, habitus, etsi præter vestes dicat earum ubicationem, & relatio dicens fundamentum, terminum & rationem fundandi, cum sint logicè adhuc entia

entia per se, & in ratione denominandi quid unum, concipiunturque in ordine ad prædicationem per modum unius: debet item esse quid reale & totum, sive non exigens ordinati ad physicè componendum cum alio ens unum per se, qualia sunt caput, pes, oculus &c. facta per abscissionem talia tota: item genera; hæc enim, etsi prædicentur incòplete, componanturque metaphysicè, physicè tamen non componunt; imò, excepto summo genere, omnia respectu superiorum sunt species, adeoque quid, etiam metaphysicè, còpletum. Differentiæ verò à directa linea excluduntur, non quod componant, sintque metaphysicè quid incompletum, sed quod habeant se per modum formæ determinantis, & quod nullo generi directè subjiciantur. Verùm hæc conditiones magis ex arbitrio sic ordinantium, quàm ex natura rei requirantur.

III. Substantia, pro ut opponitur accidenti physico, est ens per se. Ens per se illud est, quod vel primariò à natura intenditur propter se; vel propter aliud primariò à natura intentum, à quo ipsum adæquatè non distinguitur; sicut materia & unio

compositi substantialis intenduntur propter compositum substantiale, primario à natura intentum, à quo non distinguuntur adæquatè: imò & subsistentia, quæ intenditur propter compositum completum in ratione suppositi (qualiter intenditur primario compositum à natura) à quo non distinguitur adæquatè. Accidentia è contra, etsi distinguantur inadæquatè solum ab eo, quòd constituunt, V. G. calor à calido, non sunt tamen substantiæ, quia illud ipsum, quod constituunt, non intenditur primario à natura: quamvis præterea non intendantur proprie propter concretum illud, quod constituunt, V. G. calor propter calidum, sicut forma ignis propter ignem; sed propter subjectum, quod supponitur, & à quo adæquatè distinguuntur, perficiendum, ut bene se habeat in ordine ad se, vel in ordine ad aliquam operationem.

III. Substantia prædicamentalis (quæ est ens per se completum finitum &c.) alia est prima, quæ nequè subjecto inhesionis inest, nequè de subjecto aliquo, tanquam superius de inferiori, dicitur, sive est

De divisione entis in 10. prädicamenta. 31

est substantia singularis & individua. Alia secunda, quæ non est quidem in subjecto inhæſionis, de subjecto tamen aliquo dicitur: dicitur hæc secunda, quia veluti mediante substantiâ primâ, ejusquæ beneficio substantia accidentibus, quatenus nimirum generibus & speciebus conveniunt accidentia tantum propter & per individua; sic homo est albus, quia Petrus, Paulus &c. est albus. Dividitur hæc substantia secundò intèntionaliter sūpta, in eam nimirū, quæ prædicabilis est de uno Solo, & in eā, quæ de pluribus est prædicabilis.

IV. Quantitas est accidens distinctum à substantia reliquisq; accidentibus; perit quippe in SS. Eucharistia substantia panis, & manet quantitas panis; manet enim eadem accidentium extènsio & impenetrabilitas, & consequenter eadem illius radix, quæ non est ipsa remanentium accidentium per se quantorum quantitas, manet siquidem ea quantitas, quæ ex eodem loco excludit quantitatem alterius substantiæ vel corporis v. g. manuū sacerdotis, quod præstare non potest quantitas istorū accidentium; una enim quantitas juxta Nominales hæc Adversarios non excludit aliam, nisi sit ejusdem secum rationis v. g. quantitas
6 caloris

caloris solius alterius caloris quantitatem, & non quantitatem substantiæ excludit. Ad quæ respondent, hanc penetrationem naturaliter secuturam, nisi novo miraculo impediretur. Nequè etiam ubicationes materiæ panis possunt proximè fundare hanc extensionem & impenetrationem; sunt enim hæ ubicationes modi, quos remanere modo dificato sublato repugnat; transferri item non possunt de loco in locum, adeoque motâ hostiâ perirent. Quinimò dato, quod hæ ubicationes impediant, quò minus partes hostiæ seu specierum penetrarentur inter se, impedire tamen non poterunt, quò minus penetrarentur ab alio corpore. Præterea alterantur species Eucharisticæ ab agente naturali, ergo hinc debet adesse subjectum, è quo istæ alterationes earumquè termini educantur, quod non est corpus Christi; nequè aliud præter quantitatem assignari potest. Dicere autem, Deum ad præsentiam agentis naturalis, quod v. g. calorem produceret, si daretur hinc subjectum, è quo educeretur, creare calorem, idq; ad majorem hujus mysterii occultationem, est multiplicare miracula sine necessitate. Nequè itaq; materia

per

per seipfam est extensa, licet enim ad recipiendum alia accidentia, requiratur, ut ea ante sit extensa, ad recipiendam tamen & emanandam ipsam quantitatem hoc non requiritur, sed sufficit, quod sit entitas divisibilis localiter apta extendi per quantitatem. Neque substantia orbata omni quantitate, manens in eodem loco & situ, in quo erat habens quantitatem, erit impenetrabiliter extensa per suam entitatem; sed habebit partes inter se impenetratas, non quia quantæ sunt, sed quia affixæ certo sunt spatio, vi ubicationis divisibilis, quæ retinentur non tamen erit impenetrabilis cum alio corpore. De cætero absque quantitate non habet exigentiã, ut extendatur hac ratione, habendo partem extra partem, sed est indifferens, ut sic extendatur, vel habeat omnes partes in eodem loco.

M. Essentia quantitatis non consistit in extensione entitativa, seu dispositione partium entitativarum, vi cujus partes entitativæ (quales dicuntur eæ, ex quibus materia vel forma materialis constat, etiam omni quantitate absente) ita inter se disponuntur, ut prima immediate uniatur secundæ, & non tertiæ, secunda tertiæ & non quartæ, v.g. caput collo & non

immediatè humeris vel pectori, qualem extensionem & dispositionem habituræ essent hæ partes, etsi omnes existerent in eodem loco. Positâ enim quantitate, non solum pars quantitatis, quæ est in capite, est distincta à parte quantitatis, quæ est in pede, sed etiam pars substantiæ capitis est distincta à parte substantiæ pedis, cum ab invicem separari queant, imò si absente quantitate pars substantiæ capitis à substantia pedis non distingueretur, nequè distingueretur accedente quantitate; nulla enim ratione, quæ semel identificata sunt, queunt à se distingui realiter. D. Thom. verò dicens, substantiam omnem indivisibilem esse remotâ quantitate, & materiam dividi non posse, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate; loquitur de divisibilitate in partes entitativas.

VI. Nequè consistit essentia quantitatis in eo, quòd sit apta mensurare aut mensurari (quòd actu mensuretur aut mensuret, constat, provenire illi ab extrinseco, nimirum ab actu intellectus mensurantis), prius enim est, rem actualiter esse localiter impenetrabiliter extensam, quàm posse mensurari aut mensurare. Unde D. Thom. & Arist. contra-

riana

rium quandoque visi innuere, censendi sunt loqui de mensura radicaliter sumpta, quod ea sit essentia quantitatis, sicut risibile radicaliter sumptum est de essentia hominis. Idem dicit de divisibilitate rei in partes quantitativas.

VII. Sed essentia seu ratio formalis quantitatis est exigentia impenetrationis, quâ res quantitativa exigit occupare spatium distinctum ab eo, quod occupat quodvis aliud corpus. Melius autem sic explicatur, quàm per hoc, quod sit exigentia extensionis in ordine ad locum; hoc enim non est prædicatum adequatum quantitatis, cum dicat tantum partes rei esse extra partes, adeoque partes tantum inter se non penetrari, non autem dicit, partes non penetrari cum alio corpore. Habetur autem hæc actualis impenetrativa extensio (quæ formaliter exigitur à quantitate) formaliter ab ubicationibus quantitativis, subjectum actu in loco impenetrabiliter extendentibus. Unde effectus formalis primarius quantitatis est, reddere subjectum exigens extendi impenetrabiliter, non reddere illud actu extensum, potest namque esse quantitas, & tamen subjectum non extendi

tendi

tendi impenetrabiliter, ut patet in corpore Christi verè quanto, & tamen penetrante lapidè sepulchralem. Ex eo autè, quòd quantitas unita subjecto indivisibili, non redderet illud exigens dictam extensionè, nihil nobis contrarium deducitur; est enim quantitas tantùm apta hunc effectum communicare subjecto capaci, quale tantùm est illud, quòd habet partes entitativas.

VIII. Linea & superficies sunt veræ & distinctæ species quantitatis; essentialiter enim participant rationè quantitatis; nimirù extensionè & impenetrabilitatè secundum rationè formaliter diversã; linea nèpe secundum longitudinem tantùm, superficies secundum longitudinè & latitudinè. Sunt tamen logicè solum diversæ species, seu secundum nostrum concipiendi modù, abstrahentè vel à latitudinè, vel à profunditate, seu cognoscètem rem divisibile tantùm secundum longitudinè, vel secundum longitudinè & latitudinè; à parte rei enim non datur res divisibilis tantùm secundum longitudinem &c. Neq; etiam una species essentialiter includit speciè sibi oppositã; linea enim accepta formaliter, prout est quantitas habens longitudinem & excludens

lati-

latitudinē (qualiter spectata tantū est species opposita superficiē) non cōponit superficiem; neq; sic accepta ordinatur ad componendam superficiē, aut superficies ad corpus, adeoq; sic accepta sunt adhuc quid logicè cōpletum, etsi, si à parte rei à corpore distincta darentur, physicè essent quid incompletum.

IX. Qualitas est *accidens physicū absolutum, à quantitate distinctū, bene vel malè affluēs subiectū*. Bene explicatur per negationē quantitatis nobis notiorē, uti sæpius contingit in rerū definitionibus, ut dum dicitur: *brutum est animal irrationale*. Prima qualitatis species complectitur *Habitum & Dispositionem*, & est *qualitas potentiā naturalē presupponēs, illamq; adiuvans vel facilitans*. Huc pertinent habitus naturales & supernaturales; hi enim etsi dent etiā simpliciter posse, supponunt tamen potentiā constitutā in esse vitalis & inchoatā: & dispositiones, disponentes materiam de se capace recipere formā, ut illam in actu secundo recipiat. Si addas definitioni: *diu perseverans & difficulter mobilis*: est definitio solius habitus; si addas: *facile mobilis*: definitio est solius dispositionis. Secunda continet *Potentiam & impotentiam*, & est *qualitas à natura infusa*.

infusa

*insita, quæ sit principium accidentale operandi: quales non sunt habitus dispositiones; etsi enim sint principia operandi, non sunt tamen à naturâ insita. Huc pertinent virtutes herbarum, metallorum &c. item intellectus, voluntas &c. si ab anima distinguerentur. Si definitioni adjicias: principium *vigens & forte*, definitur sola Potentia; si addas *debile*: definitur sola Impotentia, qualis impotentia videndi est in sene, quia in eo est vis debilis videndi. Tertia continet *Passionem & Patibilem qualitatem*: & est *qualitas ex natura sua ordinata ad bene vel malè afficiendum subjectum absquè ordine ad operationem, saltem primariò*; quæ si sit citò transiens, dicitur passio, si diu perseveret, dicitur patibilis qualitas. Huc spectant calor, frigus, color, sapor sonus &c. affectiones, qualitates spirituales animæ & Angelorû, gratia sanctificans, character sacramentalis. Quarta deniq; *Formam & Figuram*: verùm hæ non sunt veræ species qualitatis; satis enim explicantur per partes quantitativas rei, certo modo inter se dispositas, unitas, disjunctas, distantes, vicinas &c.*

X. Relatio vera realis datur ante omnem operationem intellectus; sic enim in divinis

dantur reales relationes paternitatis & filiationis, idq; ideo, quia datur ibi ratio producti & producentis, ergo propter eandem quoque rationem dantur tales in creatis, ubi independenter ab omni cognitione res sibi sunt similes sunt in vice causæ & effectus. Neq; enim relatio consistit in actuali comparatione, seu in actu comparante unum cum alio, sed potius in comparabilitate, seu in eo, ratione cuius res una apta est comparari cum alia. Unde etiam idem extremum nemine cogitante est fundamentum & terminus, pro ut idem aptum est variè referri ad aliud. Quod autem ad relationem non detur motus, quod adveniat subiecto sine eius reali mutatione, non probat relationem nihil esse reale, sed non esse formam vel modum superadditum fundamento termino & rationi fundandi. Definitur autem relatio in genere, quod sit *habitus unius ad aliud*: & relativa sunt, *quæ id, quod sunt, aliorum esse dicuntur*: seu *quorum esse est ad aliud*: quam definitionem Arist. ideo solum rejicit, quia nimis lata est, utpote conveniens relationi tam transcendentali, quam prædicamentali, quam solum intendebat definire Arist.

XI. Relatio alia est realis, quæ datur in rebus ante intellectû fingentem: alia rationis, quæ fingitur tantû ab intellectu, habetq; solum esse objectivû in intellectu; talis est inter Chibmæram matrem & Chimærâ filiã. Realis alia est talis secundûm esse; quæ verè absq; intellectu fingente aut cognoscente est inter fundamentû & terminû realiter distincta: alia secundûm dici, quæ verè à parte rei nõ est in re, neque cognoscitur esse in re, saltẽ primò intentionaliter sumpta, tanquã objectum directû, sed quæ tota tenet se ex parte modi cognoscendi, dum nimirû rem absolutam in actu exercito cognoscimus & explicamus per modû relativi, id est, in ordine ad aliud, vel quasi aliud, ut dum idem bis cognitû referimus ad seipsum, (quòd contingere viderur in omni affirmatione) dum universale refertur ad sua inferiora; à quibus non distinguitur; Et hæc relatio consuevit quoq; quandoq; dici rationis. Ulteriùs subdividitur relatio realis in intrinsecam & extrinsecã, pro ut ratio fundandi est accidens intrinsecum (aut quid identificatû) vel extrinsecum fundamento. In mutuã & non mutuam, pro ut terminus refertur vicissim ad fundamentum, vel non refertur vicissim,

cissim, uti paries non respicit vicissim visionē. Mutua vel est æquiparatiæ, quando extrema eodem modo se respiciunt, efferunturq; eodem nomine, ut relatio similitudinis: vel est disquiparantiæ, quando diversimodè sese respiciunt extrema, efferunturq; nominibus diversis, ut relatio patrem inter & filium. Alia denique realis relatio est transcendentalis, alia prædicamentalis.

XII. Relatio prædicamentalis est habitudo accidentalis, seu accidēs (logicū vel physicū) cujus totum esse est ad aliud, sive cujus totum esse distinctivum, seu cujus conceptus formalis & differentialis est respicere aliud; convenit enim de cætero cum aliis accidentibus, si est accidens physicum, quòd habeat esse *in*, differt, quòd habeat præterea esse *ad*. Sicquē hæc relatio est accidens, saltē logicū, respectu fundamenti, cui suo modo advenit, & quod præsupponitur ad illā, sine quē illa esse potest, exceptā relatione similitudinis & diversitatis creaturæ cum Creatore suo, quæ tamen præter entitatem Dei dicit entitatē creaturæ, ad quē Deo soli nō est intrinseca. Relatio transcendentalis est habitudo, ordo vel respectus ad aliud, adæquatè intrinsecus & essentialis soli

soli

soli fundamento; respiciunt enim transcen-
 dentaliter relativa per suammet essentiam
 terminos sibi extrinsecos, id est, à se distin-
 ctos v. g. materia formam, unio unibilis;
 adeoque constituunt hæ relationes quidem
 essentiam rei absolutæ prædicamentaliter,
 non verò absolutæ transcendentaliter. Arist.
 autem non tam negat has relationes essen-
 tiales, quam res esse per essentiam suam rela-
 tivas prædicamentaliter. Differunt præterea
 hæ duæ relationes in eo; primo quòd in
 prædicamentali fundamentum respiciat ter-
 minum ut purè terminum; ex eo enim præ-
 cisè, quòd paries B terminet relationem si-
 militudinis, non denominatur similis parie-
 ti A, (sicut objectum ex eo præcisè deno-
 minatur cognitum, quòd terminet cog-
 nitionem talem adæquatè à se distinctam, sed,
 quòd partialiter constituat hanc relationem.
 Porro purus terminus dicitur, circa quem
 nihil agit fundamentum producendo, cog-
 noscendo illum, uniendo se illi, patièdo ab
 illo, aliamve ei tribuens denominationem;
 qualis in relatione paternitatis adhuc cen-
 setur filius; quatenus enim hunc respicit
 pater jam positum in rerum natura, nihil

agit circa illum amplius, generatio quippe, quæ hujus relationis est ratio fundandi, præterit: & qualis purus terminus non est Verbum respectu unionis hypost. etsi enim hanc unionem non recipiat tanquam ejus subjectum (in quo sensu à Theologis Verbum dicitur purus terminus) denominatur tamen ab ea unitum. E contra in relatione transcendentali non respiciatur terminus ut purè terminus; sic creatura non respicit Deum tanquam purum terminum; etsi enim nihil agat circa Deum, ab eo tamen patitur, saltem potentiâ, denominaturque extrinsecè possibilis. Nequè opponas; causa actu causans dicit relationem prædicamentalem, & tamen non respicit effectum ut purè terminum; nam est hæc relatio potius transcendentalis, licet enim soli entitati causæ non sit adæquatè intrinseca, huic toti tamen, quod dicitur causa actu causans, est adæquatè intrinseca. Secundò quòd relatio prædicamentalis respiciat semper terminum actu existentem: transcendentia quandoque solum possibilem, imò respiciat quandoque entia rationis, v. g. cognitio, quæ cognoscitur impossibile. Quòd

autem relationes quædã transcendentales necessariò requirant terminum actu existentẽ, v. g. quæ est inter ubicationem & ubicatum, inter unionem & unita (harum enim fundamenta ne quidem divinitus existere possunt, quin actu quoq; existant eorũ termini) id in quã, non requirunt, quia relationes transcendentales sunt (sicut prædicamentales id præcisè requirunt, quia prædicamentales sunt) sed quia tales sunt relationes transcendentales, nimirum modales. Et hinc bene sequitur: hujus relationis terminus actu non existit, ergo non est relatio prædicamentalis; non bene sequitur: hujus relationis terminus actu existit; ergo est prædicamentalis. Dicitur deniq; hæc prædicamentalis, quia certo huic prædicamento includitur: illa transcendentalis, quia per omnia prædicamenta vagatur.

XIII. Non cõsistit relatio prædicamentalis physicè spectata (nõ enim quæritur quomodo concipiatur, cum confluet, illã solere cõcipi per modũ formæ accidentalis, fundamento veluti suo subjecto inhærentis, illudq; ad terminũ referentis) in solo fundamento, connotans terminũ tanquam quid merè extrinsecũ; posito enim eo solo, quod relatio dicit intrinsecè,

secè, habetur tota essentia & omnia constitutiva relationis, ergo sublato termino, & relicto solo fundamento habetur tota relatio, quod est absurdum, & consequenter manebit etiam tota relatio quoad denominationem, sive quoad esse formale; impossibile namque est, manere actu subjectum, formam & informationem, quin actu sit denominatio & concretum. Quod autem benedicatur, relationem transcendentalem identificari soli fundamento, & connotare extrinsecè terminum, & tamen termino hoc sublato, seu reddito impossibili, corruere relationem transcendentalem, inde est, quod isto termino sublato, non tantum tollatur relatio, sed ipsum fundamentum, & per locum extrinsecum; sublato autem termino in relatione prædicamentali, tollitur sola relatio manente eo, quod est fundamentum, & quidem juxta nos per locum intrinsecum.

XIV. Neque est quid strictè reale vel modale fundamento, termino & rationi fundandi superadditum; si enim esset tale quid, jam ad relationem, daretur motus, resque per advenientem relationem mutaretur. Quænam autem esset causa productiva hujus su-

u

per-

peradditæ entitatis resultantis in nostro hoc pariete, eiquè inhærentis; dum hodie Romæ dealbatur paries, fitquè similis huic nostro parieti ante centum annos dealbato? & quomodò, & à quo, dum vel una musca se movet, consurgit nova cum rebus omnibus relatio vicinitatis vel distantia, & in rebus omnibus nova entitas? Sed consistit in dictis tribus simul sumptis; his enim positis, & omni alio sublato habetur relatio, & eorum aliquo sublato perit relatio formaliter, seu per locum intrinsecum, quia non manet illæsus ejus conceptus. Est itaque physicè eadem relatio, quâ pater refertur ad filium, & quâ filius refertur ad patrem; quia easdem dicit entitates; ex modo tamen significandi, nimirum nunc efferendi unum in recto, alterum in obliquo sunt diversæ, cujus diversi modi significandi eadem entitas, ratio nempe fundandi, quæ est generatio, præbet fundamentum, & dicendi *Philippus est pater Alexandri: & Alexander est filius Philippi*: Nequè opponas primò: per relationem advenit fundamento, nova denominatio, adeoque nova forma: nam dum fundamento advenit terminus & ratio fundandi, utiquè fundamen-

to advenit nova forma, sed illi extrinseca, ex qua & fundamento consurgit relatio fundamento partim intrinseca; unde, etsi pereunte termino vel ratione fundandi, illud, quod præcisè perit, sit fundamento extrinsecum, quia tamen perit relatio, perit aliquid fundamento partim intrinsecum; sicut pereunte formâ perit compositum, & pereunte composito, perit aliquid materiæ inadæquatè intrinsecum. Nec secundò: dum uni albo additur unus gradus albedinis, alteri non, intenditur albedo, & minuitur similitudo, & sic idem intenditur & remittitur, si relatio identificetur albedini, termino & fundamento: nam in hoc casu non intenditur & remittitur res eadem adæquatè & secundum eandem formam considerata; similitudo enim non est tantum una albedo, sed duo alba simul sumpta. Si autem utraq; albedo intendatur pariter, non intenditur tamen relatio vel similitudo illi identificata, cum album ut tria sit æquè simile albo ut tria, quàm album ut sex albo ut sex: sed crescet solum relatio & similitudo purè materialiter & extensivè; major enim materialiter similitudo inest albedinibus ut sex,

quàm albedinibus ut tria: & non crescit albedo formaliter secundùm rationem, secundùm quam est similitudo, quæ in hoc consistit, quòd in uno sit tantum albedinis, quantum in altero. Nequè tertio: relationis totum esse est ad aliud, & tamen terminus relationis non est ad aliud, ergo hic ad relationem non pertinet: nam hæc relationis definitio non est sic accipienda, quasi totum esse relationis sit, respicere aliud à se distinctum, sed quòd totum esse relationis sit, referre fundamentum ad terminum: vel etiam esse fundamenti, seu relationis inadæquatè acceptæ sit, respicere aliud, quod ipsum etiam relationi inadæquatè identificatur, nempe terminum. Nequè quarto: sic licitè possem amare malitiam Judæ, quia possum amare dissimilitudinem ejus cum bonitate Petri: nam amare possum dissimilitudinem hanc formaliter consideratam, si-ve malitiam, non secundùm quod est præcisè malitia, sed secundùm quod præcisè dissimilis est bonitati Petri. De predicamentis cæteris actum est (par-
sim in Physica.

DISSER-